Jahresbericht

über das

Gymnasium und die mit demselben verbundene Realschule

zu

Plauen

auf das Schuljahr 1857—1858.

Womit zu der

am 22. 23. und 24. März zu haltenden

öffentlichen Prüfung aller Classen

und dem

auf den 29. März festgesetzten

feierlichen Redeactus

ehrerbietigst und ergebenst einladet

der Director

Professor Dr. **Friedrich Palm**

Ritter des Königl. Sächs. Albrecht-Ordens.

Voran

eine Abhandlung des Gymnasiallehrer Dr. C. Schubart:

De Hermesianactis elegis.

Plauen,

gedruckt bei Moritz Wieprecht.

1858

De Hermesianactis elegis.

Alexandrini poetae qua arte ac ratione in componendis elegis usi sint, etsi ex Romanis poetis, qui eorum vestigiis sunt ingressi, satis conjicere licet, pergratum tamen accidit, quod Athenaeus XIII, 596, F. sqq. elegorum, quos Hermesianax Colophonius in honorem Leontii, puellae suae, scripsit, nobis eam servavit partem, qua doctus ille poeta undecim clarissimos poetas, quibus tres adjuncti sunt philosophi, enumerans unumquemque vim amoris sensisse eaque potissimum re ad carmina facienda incitatum esse canit. Depromti sunt hi nonaginta octo versus e tertio libro Leontii, nec dubitari potest, quin Hermesianax etiam in iis qui perierunt, idem argumentum, amores dico, tractaverit, etsi non verisimile est, ut Bernhardy hist. lit. graec. II, 1 p. 496. bene perspexit, eum per totum carmen eandem, qua in isto fragmento usus est, rationem esse secutum. De hoc autem diversa et contraria inter se virorum doctorum sunt judicia; erant, qui pulchritudinem ejus summis ornarent laudibus, velut Ruhnkenius et Ilgenius, ut Fr. Schlegelium, qui omnem in laudando modum excessit, silentio praeteream; contra C. G. Cobetius in adnotationibus, quas orationi suae addidit, p. 47 sqq. maxima acerbitate in poetam invehitur eumque, quum omnis opera in eius emendatione posita ludatur, ne dignum quidem esse contendit, qui accurate tractetur. Videtur autem vir acutissimus, a quo multa recte animadversa et reprehensa esse non nego, non satis nec quo tempore Hermesianax vixerit nec quod poesis genus hujus aetatis proprium fuerit, respexisse. Justam harum rerum rationem habuerunt Bernhardy l. c., Th. Bergkius in praefatione programmatis, quod prodiit Marburgi 1844, C. F. Hermannus, qui in hist. cult. Graec. et Rom. (Culturgeschichte der Griechen und Römer I. p. 233) elegiam primum fere inter ea locum tenere dicit, quae Alexandrinorum aetas protulerit. Quamquam igitur jure doctissimi viri, quorum nomina et scripta accurate Bernhardy l. c. enumerat, in Hermesianactis fragmento corrigendo et

explicando elaboraverunt, multi tamen adhuc in eo loci restant, qui intelligi nequeunt et medelam nunc quoque requirunt. Neque hoc mirum; nam Athenaei libri manuscripti et recentioris aetatis sunt et maximam partem foede corrupti plurimisque vitiis conspersi. Accedit quod Hermesianax multas res narrat, quae nobis prorsus sunt obscurae, alias pro consilio suo mutavit, alias prorsus videtur finxisse, ut explicandi carminis difficultas saepe non minor sit, quam corrigendi. Denique in ipsa dictione multa novavit ac saepe dicendi ratione usus est, quae ab Atticorum usu recedit. Itaque factum est, ut ipse G. Hermannus multa incerta relinqueret. Quis autem speret se iis posse mederi, de quibus ille desperaverit? Nihilominus tamen, licet parva esset spes successus, iterum illud fragmentum constitui tractare, satius tamen ac tutius visum est, ex conjecturis, quas et editores carminis et alii viri docti passim protulerunt, memorabiliores diligenter colligere et pro viribus meis examinare quaeque cum aliqua probabilitate ab aliis emendata essent adnotare, quam conjecturarum numerum temere augere et in sanandis iis, quae sanari non possunt, inanem collocare operam.

Iam, ut ad ipsum carmen transeam, Hermesianax statim initio in iis quae de Orpheo tradit, a narratione reliquorum scriptorum recedit, solus enim v. 1. 14. Orpheum re vera ex inferis reduxisse uxorem dicit, cui v. 2. 14. Agriopes nomen indit. Offendit quidem in eo Zoëga bassi-rilievi I. p. 199. proque eo tanquam mitius nomen ponendum esse censuit Ἀργιόπη, quo claram et sonoram vocem significari putat; at haec, quam Zoëga dicit, notio non inest in adjectivo ἀργός. Neque haec mutatio Bergkii disputatione probatur, qui Hermesianactem Argiopem nympham in mente habuisse suspicatus est, quae ab Appollodoro et Pausania uxor Philammonis materque Thamyridis fuisse dicitur. Itaque codicum scripturam servare praestat. Similiter, ut hoc statim addam, poeta v. 16. Musaei uxorem, cui vulgo Deiope nomen est, Antiopam nominat, quis autem eum de matre Zethi Amphionisque cogitasse arbitrabitur?

v. 2. recte omnes fere editores optimi codicis A. scripturam κιθάρην intactam reliquerunt cumque hac voce adjectivum Θρῇσσαν conjunxerunt. Στείλασθαι autem κιθάρην i. e. ex interpretatione Schweighaeuseri: instructum esse cithara, cur graece dici non possit, ut Cobetius contendit, non video. Nam στείλασθαι πέπλους reperitur in Eurip. Bacch. 821 ed. Nauck.; quem dicendi usum videtur Hermesianax respexisse.

v. 3. in libris est ἀπειθέα χῶρον, quod defendit Bergkius, argute Orcum inexorabilem dici contendens. Recte autem Hermannus animadvertit, non posse hoc adjectivum ferri conjunctum cum vocabulo χῶρος multumque interesse, χῶρος an Ἅιδης dicatur ἀπειθής. Nec potest ad defendendam istam explicationem afferri v. 13, quum magnos dominos lenire facile quis possit, locum nullo modo. Iam Hermannus conjecit scribendum esse ἀπευθέα, quo locus significaretur sive ignorabilis sive ex quo nulla veniret fama. Egregia sane emendatio lenissimaque mutatione effecta; tamen, quum manifestum sit poetam voluisse terrores Orci difficultatemque aditus significare, Hauptii conjecturam prae-

tulerim, qui in actis societ. reg. lit. 1849 p. 46 sqq. ἀπεχθέα ab Hermesianacte scriptum esse dicit ejusque vocabuli vim multis exemplis illustravit, ex quibus apparet id huic loco optime convenire. Quaeritur autem, de quo loco poeta cogitaverit. Quem quum in sequentibus versibus accuratissime describat, dubitari non potest, quin ripa Acherusiae paludis sit intelligenda, ibi enim Charon mortuorum animas in cymbam cogit, ibi paludis unda per ulvam agitur. In hunc autem locum non navigando perveniebatur, sed descendendo, itaque praecedens verbum ἔπλευσεν, quod significare necesse est: navigavit in locum, nam navigari locus omnino non potest, sententiae non est aptum. Requiritur potius verbum, in quo videndi vel adeundi insit notio; quod quale fuerit, pro certo vix poterit affirmari, quum admodum sit difficile verbum invenire, quod ad similitudinem literarum in codicibus scriptarum prorsus accedat, licet tamen conjicere Hermesianactem εἰςεῖδεν (quod est in Hom. Od. XI, 582. 593.) vel ἔστειχεν (quod legitur apud Eur. Hipp. 1366: ἐς Ἅιδαν στείχω κατὰ γᾶς. Androm. 414: στείχω πρὸς Ἅιδην) vel simile quid posuisse.

v. 4. pro ἀκοήν, quod in libris est, intelligi autem nequit, viri docti alius aliam emendationem proposuerunt, quas omnes recensere longum est. Ex iis Valckenarii ἄκρην proxime quidem ad codicum scripturam accedit, neque tamen potest significare: extremam i. e. quam postremo omnes conscendere necesse est. Deinde Lennepii, cui plerique assensi sunt, conjecturam: κοινήν huic loco non aptam esse, quum jam ex verbis ψυχὰς οἰχομένων appareret publicam esse Charontis cymbam, vidit Bergkius conjecitque scribendum esse κυάνην, quod ante eum jam Meineckius ad Theocrit. XVII, 49. excogitaverat, quo versu clarius demonstratur quam locis a Bergkio allatis potuisse poetam ita scribere, nam illic quoque aperte sermo est de cymba Charontis:

πάροιθ' ἐπὶ νῆα κατελθεῖν
κυανέαν καὶ στυγνὸν ἀεὶ πορθμῆα καμόντων.

Injuria igitur Welckerus in mus. Rhen. 1846 p. 306. adjectivum κύανος de aqua sola dici posse contendit, neque est cur dubitemus, quin Hermesianax hoc vocabulo usus sit, licet aliquantum a literis in codd. scriptis recedat.

v. 5. et 6. plerique servata codd. scriptura sic ediderunt:

λίμνη (pro quo in A. est λίμνηι) δ' ἔπι μακρὸν ἀΰτεῖ,
ῥεῦμα διὲκ μεγάλων ῥυομένη δονάκων,

et sine dubio recte Dindorfius in pentametro vocabula δι' ἐκ in unum διέκ conjunxit. Verum verbum ῥύεσθαι non significat simpliciter trahere, ut lacus undam trahere dicatur, sed est: ad se trahere, attrahere, unde omnes aliae, quas habet, significationes ortae videntur. Quomodo autem possit lacus flumen suum ad se trahere, non intelligo. Itaque verisimile est, aliud quid a poeta positum fuisse. Ex conjecturis autem, quae prolatae sunt, ea maxime placet, quam commendat Hermannus συρομένη; nam δύρεσθαι, quod Bergkius conjecit, nisi fallor, tantum de animantibus solet usurpari. Jam litera ι, quae in

A. vocabulo λίμνη addita est, non est leviter abjicienda, prorsus enim nullam video causam, qua motus librarius eam addiderit. Hoc Ruhnkenius jam videtur perspexisse, qui posuit genitivos λίμνης ῥυομένης χεῦμα (qua mutatione non opus est). Quum autem verbum ῥύεσθαι ferri non possit, conjunctis duorum virorum conjecturis scribere placet:

λίμνης δ' ἔπι μακρὸν ἀΰτεῖ
ῥεῦμα διὲκ μεγάλων συρομένης δονάκων.

v. 8 verbis παντοίους δ' ἐξανέπεισε θεοὺς jure offensi sunt viri docti; illi enim θεοὶ παντοῖοι qui fuerint, nemo dicere potest, nam, sive explicas: Dii varii generis et formae, quomodo Ilgenius, sive: Dii omnigeni, quomodo Schneidewinus, qui sint, non apparet; nec possunt hoc loco intelligi μεγάλοι ἄνακτες, qui v. 13. commemorantur, quum non credibile sit, poetam bis eadem dixisse. Accedit quod etiam verbum ἐξανέπεισε sententiae hujus loci non convenit, solis enim magnis diis infernis, in quorum potestate uxor erat, amans maritus et poterat et debebat persuadere, ut redderent sibi Agriopen. Jam Hermannus pro ἐξανέπεισε conjecit ἐξανέλισσε, in quo verbo celebrandi notionem inesse dicit statuitque „Orpheum omnium laudes deorum celebrasse, a quibus orsus (ἔνθεν ἀοιδιάων v. 13) infernos deos permulserit". Hoc autem verbum ab Hermanno inventum et ita comparatum est, ut vix possit probari. Praeterea particulam ἔνθεν, quum quatuor praecedant versus, in quibus iterum de terroribus Orci agitur, ad verbum ἐξανέλισσε referre valde dubito. Alia ratione Bergkius hunc locum correxit; probata enim Valckenarii conjectura ἀνταίους scripsit ἀνταίους δ' ἐξεπάεισε θεούς i. e. adversos deos permulsit. At nemo nisi adnotationem ejus perlegerit, istos ἀνταίους θεοὺς monstra esse intelliget, quae Vergilius Aen. VI, 273 sqq. enumerat, sed unusquisque poetam putabit de iis diis cogitasse, qui Orpheo uxorem eripuerint eamque ob rem recte dicantur adversi. Itaque et sic poeta eandem rem bis commemorat, quod concedendum esse jam supra negavi. Ac praeterea isti Dii „vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci" erant, atque a Bergkio demum ad undam paludis Stygiae vel Acherusiae adducti sunt. Neque vero Hermannus neque Bergkius videntur satis respexisse, quid narrationis perpetuitas hoc loco requireret, neque cogitasse Orpheum nisi cymba Charontis in ipsum Orcum pervenire non potuisse cf. Luc. de luct. 3. ἡ Ἀχερουσία λίμνη πρόκειται πρώτη δεχομένη τοὺς ἀπαντῶντας, ἣν οὐκ ἔνι διαπλεῦσαι ἢ παρελθεῖν ἄνευ τοῦ πορθμέως. Hoc enim poeta dicit: Vidit vel venit in inimicum invisumque locum, ubi Charon caeruleam in cymbam cogit animas defunctorum paludisque unda per altas arundines actae late obstrepit. At (nihil perterritus) sustinuit ad undam solus cithara canens Orpheus. Quid jam aliud positum esse poterat quam Orpheum a portitore impetrasse, ut se transveheret, quum in proximis versibus ad Cerberum, qui trans Stygiam paludem erat (cf. Luc. l. c. Verg. Aen. VI, 417.) dicatur pervenisse? Id etsi perspicuum est illis verbis a poeta dictum esse, quae sic ut vel in libris scripta vel mutata sunt intelligi non posse antea demonstravi, illud tamen incertum est, quomodo sit restituendum, quum violentiore mutatione opus esse videatur.

Quod si quis cogitaverit et constanter πορθμῆα Charontem a poetis dici (cf. fragm. Minyadis apud Paus. X, 28 init. Eur. Alc. 253. Theocr. l. c.) et ira solitum esse eum exardescere, quum accederent, qui nondum vita essent defuncti (cf. Verg. Aen. VI, 387. sqq. 407.) possit alicui in mentem venire, Hermesianactem tale quid scripsisse: πορθμῆος δ' ἐξανέπαυσε (vel, quod Bergkio placuit ἐξεπάεισε) μένος. Μένος autem de ira dici posse nemo negabit cf. Hom. Il. I, 282. Ar. Vesp. 424.

v. 9. et 10. Κωκυτόν τ' ἀθέμιστον ἐπ' ὀφρύσι μειδήσαντα
ἠδὲ καὶ αἰνοτάτου βλέμμ' ὑπέμεινε κυνός

in libris est; recte autem Hermannus et Emperius op. phil. et hist. p. 143. perspexerunt inepte dici Orpheum sustinuisse Cocytum ridentem terribilisque canis oculos, quum nullus esset labor ridentem perferre, et pro ἠδὲ scripserunt εἶδε. Hac probata mutatione plerique editores in hexametro codd. scripturam retinuerunt in eaque hanc inesse sententiam dixerunt: vidit Cocytum (qui hoc loco deus est fluvialis) ad cantum suum placidis superciliis praeter fas ridentem, iis enim assentior, qui ἀθέμιστον conjungunt cum ἐπιμειδήσαντα, quum non intelligam, quo jure Cocytus deus „omnis juris et humanitatis expers" hic dicatur. Jam iste deus fluvialis alibi sane non commemoratur, possumus tamen hoc Alexandrino poetae concedere, ut talem sibi finxerit. At mire, ut Hauptius l. c. monet, ridens Cocytus conjunctus est cum terribili Cerbero, praesertim quum his versibus poeta id egisse videatur, ut terrores Orci describeret, quo magis, quantam amor vim in Orpheum exercuerit, omnibus appareret. Itaque verbum μειδήσαντα corruptum et a librario excogitatum mihi videtur, ut hic versus cum antecedentibus verbis ἐξανέπεισε θεούς, quae jam antea depravata erant, consentiret, neque dubito, quin Hermannus recte eum emendaverit scribens:

Κωκυτόν τ' ἀνέθιστον ἐπ' ὀφρύσιν οἰδήσαντα

i. e., ut ipse explicat, praeter solitum ad ripas intumescentem. Neque vero viro doctissimo assentior suspicato Cocytum id fecisse, ut testaretur se Orphei cantu esse commotum; putaverim potius Cocytum deum iratum fuisse, quod mortalis Orpheus ausus esset Tartara adire, atque ut audacem proterreret vatem, intumuisse; ita autem deos fluviales iram suam testificari apparet ex Ov. Met. VIII, 583. Quae si recte disputata sunt, non opus est ἠδὲ in εἶδε mutare; aptissime enim Orpheus iram dei sustinuisse dicitur, neque particulae ἠδὲ καί, quum novum quid atque gravius adnectant, languere mihi videntur.

v. 12. miror Bergkium rectissimam Ruhnkenii emendationem sprevisse, qui pro φέρων, quod in libris est, neutrum φέρον ponendum esse primus vidit. Quum enim Bergkius v. 9. retinuerit μειδήσαντα, recte monuit Hauptius inepte dici eadem carminis dulcedine, qua Cocytus permoveretur, ut rideret, Cerberum terreri; deinde si Orpheus Cerbero terrorem injecit, nullus profecto erat labor eum sustinere. Haec et inter se repugnant et ante omnia ab hujus loci sententia sunt aliena. Neque est, cur codd. scripturam retineamus et cum Bergkio statuamus ὄμμα δεῖμα φέρον τριστοίχοις κεφαλαῖς

non posse graece dici. Licuit enim sine dubio poetae ad oculos transferrre, quod proprie de ipso Cerbero dicendum erat. Est igitur sententia: Feritate oculorum, quos acriter Cerberus intendit, efficitur, ut triplice capite spectantem terreat.

v. 19. qui in libris intelligi nequit, (etenim post verba Ῥάριον ὀργίων in A. scriptum est: ἀνέμω διαποιπνωιουσα vel διαποιπνύισα, in B. ἀνέμω διαποιπνώουσα, in VL. ἀνέμῳ διαποιπνύουσα, deinde in omnibus Δήμητρα) praeclara Hermanni conjectura: Ῥάριον ὀργειῶνι νόμῳ διαποιπνύουσα Δημήτρᾳ prorsus sanatus esse mihi videtur, in qua cur viri docti non acquieverint et alia, quae non possint probari, pro ea excogitaverint, ut Bergkius fecit monente Welckero l. c., non video; nam et ad codd. scripturam maxime accedit et optimam praebet sententiam neque inest in ea, quod non recte dictum sit, quum adjective positum ὀργειών, etsi nusquam alibi reperitur, facile possimus concedere poetae, et insolitam dativi formam Δημήτρᾳ Lobeckius paral. I, 142. defendat. Neque audiendus est Emperius, qui scribendum fuisse putat διαποιπνύουσαν, apparet enim nominativum referendum esse ad pronomen ἥτε, quod in praecedenti disticho legitur. Quod autem ipse Hermanni vestigia secutus proposuit: διαποιπνύουσι, eo refutatur, quod non recte mihi dictum videtur, omnes initiatos ὀργειῶνι νόμῳ διαποιπνύειν. Rectissime autem ex Hermanni emendatione Antiopa dicitur initiatis (nam πολὺν μύστῃσιν v. 17. scribendum esse nemo est qui neget) occulta oracula mystico clamore extulisse per Rarium campum sacerdotali modo vel lege in honorem Cereris volitans.

v. 21. Hermesianax quum Hesiodum Βοιωτὸν ἀποπρολιπόντα μέλαθρον Ascram venisse dicit, a vulgata narratione aperte recedit neque cur hoc fecerit, est obscurum, nemo autem, quae sedes ab Hesiodo relicta sit, liquido confirmare poterit. Bergkius eam invenisse sibi visus est scribens pro Βοιωτὸν Βοιωτοῦ, ita ut Arne urbs intelligeretur; at prorsus nihil de hac re nobis traditum est, quod talis conjecturae ansam praeberet. Probabilior est aliorum suspicio, qui, quod Hesiodus ipse (ἔργ. κ. ἡμ. 633. sqq.) de Dio patre narraverit, ab Hermesianacte ad filium translatum esse arbitrantur. Errat autem Schneidewinus, qui et sic posse codd. scripturam intactam relinqui putat, quum μέλαθρον de sede paterna i. e. Cumana intelligi possit. Quis enim, quaeso, ubi legerit Hesiodum Boeotum dictum esse, poetam, quum μέλαθρον scriberet, Cymen voluisse significare credet, et quo jure Hesiodus Boeotus dicitur, si Cyme erat oriundus? Quare si istam conjecturam veram esse statuimus, adjectivum Βοιωτόν, ut recte Riglerus Axtiusque viderunt, in Κυμαῖον est mutandum. Quod si quis audacius esse dicit, recte quidem judicat, excusatur autem eo, quod nisi mutato isto adjectivo locus intelligi non potest ac fieri sane potuit, ut librarius, qui Boeotum esse Hesiodum sciebat, temere verba a poeta scripta depravaret. Si vero res ita se habet, non dubito, quin v. 23. in perversa codd. scriptura ἔχων aliquid lateat, quo causa significetur, qua motus Hesiodus Ascram venerit. Iam si mecum reputavero, poetam etiam v. 61 sqq., ubi eodem modo ab iis, quae reliqui scriptores tradiderunt, aperte se recessurum esse profitetur, id quod ex verbis Φημὶ δὲ καὶ

in initio positis patet, primum in universum narravisse et Euripidem amore arsisse, deinde demum ad singula transisse et quid amans fecerit exposuisse, certum mihi videtur Riglerum Axtiumque recte conjecisse ἐρῶνϑ i. e. amore commotum, licet Hermannus id propter sequentem versum „inutile“ dixerit et Dalecampii emendationem ἑκόνϑ' commendaverit.

v. 25. et 26. qui vulgo ita ex libris editi sunt,

πόλλ' ἔπαϑεν, πάσας δὲ λόγων ἀνεγράψατο βίβλους,
ὕμνων ἐκ πρώτης παιδὸς ἀνερχόμενος,

nihil perplexius esse ait Cobetius, et sunt sane in iis, quae offendant nec satis accurate dicta videantur, sed de eo, quod dicere voluerit poeta, ambigi non potest. Scimus enim Hesiodum longum carmen composuisse, cui titulus erat 'Ηοῖαι sive 'Ηοῖαι μεγάλαι, cf. Bernhardy hist. lit. gr. II, 1 p. 266 sqq., Marckscheffel Hesiodi fragm. p. 116 sqq., in eoque singulas narrationes formula ἢ οἵη inter se conjunxisse, unde totum nomen accepit. Hac re usus Hermesianax, ut Hesiodum quoque ad carmina scribenda amore compulsum esse demonstraret, finxit Eoeam fuisse virginem Ascraeam ab illo amatam. Iam, ut ad ejus verba redeam, primum apparet participium ἀνερχόμενος intelligi non posse, sed scribendum esse, id quod Emperius l. c. literis codd. lenissime mutatis conjecit, ἐναρχόμενος, quod Canteri emendationi ἀναρχόμενος et Ilgenii ἀπαρχόμενος jure praetulerim. Ab hoc autem participio genitivus ὕμνων pendet, quo nomine singulas totius carminis partes significari jam Ruhnkenius perspexit. Deinde clarum est verba ἐκ πρώτης παιδὸς non posse intelligi nisi de Eoea, quae si recte se habet codd. scriptura, prima dicitur, quoniam ab ejus nomine (ἢ οἵη) unaquaeque narratio incipiebat. Multum tamen huic explicationi egregia praestat emendatio, quam Fr. Palmius mecum communicavit, ἐξ ἐρατῆς, quod sive amabilis sive amata vertis, ut est apud Tyrt. 7, 29. Schneidewin. Pind. Ol. XI, 99., huic loco optime convenit neque solum mutationis lenitate, sed etiam eo maxime probatur, quod Hermesianax hoc vocabulum ab ipso Hesiodo videtur mutuatus esse, quem constat primum hoc epitheton cum personis conjunxisse. Porro quaeritur, quo jure poetae licuerit in hexametro dicere λόγων ἀνεγράψατο βίβλους, quum istud carmen uno tantum libro constiterit cf. Marckscheffelium l. c. p. 109. Sed jam isto tempore fuisse videntur, qui Eoeas cum alio carmine, cui titulus erat Κατάλογος sive Κατάλογοι γυναικῶν, conjungerent totumque opus Catalogi nomine inscriberent. Apparet igitur Hermesianactem de toto hoc opere cogitasse idque indicasse verbis λόγων βίβλους i. e. narrationum libros; quum enim Alexandrini tria genera poesis in Hesiodo distinxisse videantur cf. Diomedem grammaticum p. 480. Putsch. Catalogumque in historico posuerint genere, id ipsum poetam vocabulo λόγων indicare voluisse eo magis existimo, quod antea Hesiodum πάσης ἤρανον ἱστορίης nuncupaverit. Restat adjectivum πάσας, quod nisi isto jam tempore, quod posteriore aetate factum esse compertum habemus, alterutrum carmen a nonnullis Hesiodo abjudicatum fuisse iisque poetam diserte obloqui voluisse statuimus, vix potest defendi. Quod quum admodum sit incertum, non possum, quin conjecturam

a viro amicissimo excogitatam publici juris faciam, qui illud πάσας in πείσας mutavit, ut hoc diceret poeta: Inde ille Eoeam ambiens Ascraeam multa est perpessus, quam cum exorasset, narrationum libros conscripsit carmina ab amatae virginis nomine orsus. Denique mediam formam ἀνεγράψατο non est cur Cobetium secuti prorsus improbemus, quamvis certum sit atticos scriptores non ita dicturos fuisse. Multis enim exemplis allatis Bergkius p. 27. probavit Hermesianactem saepe sine ulla causa media verborum forma usum esse, ubi activa potius esset ponenda.

v. 27. et 28. αὐτὸς δ' οὗτος ἀοιδός, ὃν ἐκ Διὸς αἶσα φυλάσσει,
ἥδιστον πάντων δαίμονα μουσοπόλον

in V. L. pro μουσοπόλον scriptum est μουσοπόλων. Merito tamen primus Hermannus in vocabulo δαίμονα offendit, quod sive adjective sive probata scriptura editionum V. L. substantive positum esse putamus, non apta exsistit sententia. Illud enim si statuimus, Homerus dicitur suavissimus omnium peritus vates. At ut taceam, quod jam Ruhnkenius animadvertit, non convenire Homero epitheton ἥδιστος, primum offendit asyndeton, quod eo minus excusari potest, quoniam ambigitur, utrum cum ἥδιστος an cum δαίμονα conjungendus sit genitivus πάντων. Deinde verba δαίμονα πάντων (haec enim conjungere praestaret) admodum jejuna mihi videntur; denique, si hunc versum salvum esse judicamus, in sequenti contra codd. auctoritatem delenda est particula δέ. Idem fiat necesse est, si poetam μουσοπόλων scripsisse et Homerum suavissimum omnium poetarum deum vel principem nominasse arbitramur. Ac praeterea nemo probare potest, vocabulum δαίμων hoc sensu a Graecis unquam esse usurpatum, exemplis autem e Romanis scriptoribus petitis nihil demonstratur, neque apte tum in sequentibus Ὅμηρος θεῖος dictus esset. Itaque quum neutra hujus loci explicandi ratio ferri posse videatur, conjectura versus est sanandus, ac felicissime Cobetius conjecit scribendum esse

ᾔδει τὸν πάντων δαίμονα μουσοπόλων

i. e., ut ipse vertit, Homerus quoque cognovit omnium poetarum deum sc. Amorem; quod quantum Hermanni emendationi μουσοπολῶν ᾠδῆσιν et Bergkii μουσοπολεῖν praestet, non opus est multis verbis demonstrare.

v. 29. et 30. λεπτὴν δ' εἰς Ἰθάκην ἀνετείνετο θεῖος Ὅμηρος
ᾠδῆσιν πινυτῆς εἵνεκα Πηνελόπης

particula δέ, quae in libris est, si recte Cobetius praecedentem versum correxit, est retinenda; neque est cur adjectivum λεπτὴν mutemus (cf. Hom. Od. XIII, 242 sqq.) licet v. 31. sequatur ὀλίγην νῆσον; apparet enim hoc loco parvam insulam oppositam esse latae Homeri patriae i. e. Joniae. Contra verba ἀνετείνετο ᾠδῆσιν vix possunt significare, ut explicant: cum carminibus suis in Ithacam contendit; etsi enim dativum ista dicendi ratione, quam Matthiae gr. gr. maj. II, p. 405. adn. 2. exemplis comprobavit, aliquo modo excusari posse censemus, verbum ἀνατείνεσθαι prorsus inusitate sic dictum videtur; quantum enim scio, tantum simplex τείνειν eo sensu a Graecis dicebatur, ut esset: contendere, se

conferre. Quum tamen haec sententia necessario hic requiratur, praestat sumere Hermesianactem pro simplici compositum verbum alio, quam vulgo habet, sensu posuisse et more suo (cf. ad v. 25.) medio genere esse usum, quam ad nimis faciles vel lubricas confugere conjecturas. Saltem ea, quam Bergkius protulit et Welckerus commendavit: *λεπτυνθεὶς Ἰθάκην ἐνετείνετο* etc. tribus de causis ferri non potest, primum quod particula *δέ*, ut supra monui, deesse non potest, deinde quod *ἐντείνεσθαι ᾠδῇσιν* non significat, ut illi visum est, carminibus celebrare, sed versibus includere, denique quod in sequentibus demum poeta, quid cecinerit Homerus, exponit. Quare non miror, quod Welckerus monum. antiqu. (alte Denkmäler II. p. 218) sententiam suam retractavit.

v. 33. *κλαῖεν δ' Ἰκαρίου τε γένος* recte Hermannus pro iis, quae in libris sunt *ἔκλαιεν δ' Ἰκάρου*, scripsit, nam pater Penelopae Icarius nominabatur, non Icarus. Verbum autem *κλαίειν* ab hoc loco non videtur esse alienum, quum dicatur Homerus Penelopae Atridarumque fata celebrasse *ἰδίων ἁπτόμενος παθέων*. Itaque non opus est Bergkii emendatione *ἔκλεε*.

v. 35. et 36. bene interpretatus est Bernhardy hist. lit. gr. II, 1 p. 440., unde apparet non cogitandum esse hoc loco de Mimnermo pentametri inventore. Sed vexarunt verba *πολλὸν ἀνατλάς* interpretes, quae Ruhnkenius cum sequentibus *καίετο μὲν Ναννοῦς* conjunxit. Hoc fieri non posse omnes viderunt, certum tamen mihi videtur, haec verba referenda esse ad mala, quae in amore perpessus sit Mimnermus v. infra p. 11.

v. 37. et 38. quam maxime in libris sunt depravati. In A. enim est: *πολλιῷ ἐπι πολλάκι λώτῳ* vel *λωτῷ κνημωθεὶς κώμους σιχε συνεξαμύη* (in B. additum *ή*); in P.: *πολίῳ ἐπὶ πολλάκι μώτω κνημωθεὶς κώμους σίχε συνδραμίη*; in VL. *πολιῷ ἐπὶ πολλὰ κιμώτω*. Ex his Hermannus demum correcta Ilgenii emendatione maxima ex parte veram, ut videtur, scripturam restituit, Hermesianactem scripsisse ratus:

καίετο μὲν Ναννοῦς, πολιῷ δ' ἐπὶ πολλάκι λωτῷ
κημωθεὶς κώμους στεῖχε συνεξανύειν.

Πολιόν autem dixit *λωτόν* i. e. tibiam (cf. Ilgenii adnotationem) non propter nigrum loti colorem, ut Bachius et Schneidewinus censent, nam semper *πολιός* est canus, non niger, sed quod grandior natu Mimnermus ea usus esset, id quod ipsius carminibus quodam modo confirmari videtur; itaque non opus est emendatione *σκολιῷ*. Deinde apparet verba *ἐπὶ πολιῷ λωτῷ* arctissime conjungenda esse cum participio *κημωθείς*, ut Mimnermus dicatur fascia indutus (*φορβειᾷ* vinctus) esse, ut senili tibia caneret. Denique verba *κώμους στεῖχε συνεξανύειν* Bachius explicat: incedebat ad comissationes peragendas; quum vero Hermannus *συνεξανύειν* scripserit, quod Mimnermus „tibicinam ipse tibia canens secutus sit,“ statuendum est ipsam virginem, ad quam comissatum irent, inter comissantes esse versatam, quod vix credibile est; praeterea *συνεξανύειν* nimium a scriptura codd. recedit. Itaque veri simillimum mihi est, Dindorfium rectius alteram hujus versus partem emendasse, qui conjecit: *κώμους εἶχε σὺν Ἐξαμύῃ*, nisi forte Hermesianax pro *εἶχε*

ἦγε scripsit, quod est apud Bionem XVI, 4. Itaque poeta Mimnermum cum Examya amico comissatum isse narrat, et bene Bergkius, qui et ipse Dindorfii emendationem probat, rem ita cogitandam esse ostendit, ut Mimnermus tibia cecinerit, amicus ad tibiae sonum cantum ediderit, quomodo est apud Theogn. 939. 1065. In medio autem est relinquendum, utrum Hermesianax hunc Mimnermi amicum finxerit an Thaletis patrem in mente habuerit.

v. 39. et 40. ante Hermannum sic vulgo edebantur:

ἤχθεε δ' Ἑρμόβιον τὸν ἀεὶ βαρὺν ἠδὲ Φερεκλῆν
ἐχθρὸν μισήσας τοιάδ' ἔπεμψεν ἔπη,

ita ut maximam partem codd. scriptura retineretur, nam τοιάδ' reperitur in PVL, in A autem pro eo est τ'οιαν vel τοίαν, in B τοῖανδ'; deinde ante ἤχθεε in A scriptum est ἠδ', in B ἡ, contra particula ἠδέ Casaubono debetur, in omnibus enim libris pro ea οὐδέ est. Jam Hermannus primum in insolenti verbo ἤχθεε offendit, quod etsi reperitur apud Theogn. 1032, tamen huic loco non aptum videtur; deinde totam sententiam, si qua inest in his verbis, perversam esse animadvertit, nam pronomen τοιάδε, sive ex sententia Schneidewini explicamus: talia, qualia in manibus sunt hominum, sive ex Ilgenii, qui ad ἤχθεε et μισήσας retulit: carmina indignationem et odium loquentia, intelligi non potest. Porro quae sententia hoc loco requireretur, rectissime vidit; neque enim quum hic versus verbis καίετο μὲν Ναννοῦς etc. aperte sit oppositus, credibile est poetam aliud quicquam dixisse nisi hoc: Mimnermus senex totum se amori dedidit, adversarios autem, quibus juvenis graviter erat iratus, non amplius curabat. Hanc sententiam effici putat Hermannus, si scripserimus:

δήχθη δ', Ἑρμόβιον τὸν ἀεὶ βαρὺν ἠδὲ Φερεκλῆν
ἐχθρὸν μισήσας οἷ' ἀνέπεμψεν ἔπη,

quae ipse ita interpretatur: Poenituit eum carminum, qualia effuderat, quum semper sibi gravem Hermobium inimicumque Phereclem odio persequeretur. At recte monet Welckerus, verbo δήχθη posito nimium dixisse poetam neque apte finxisse Mimnermum poenitentem. Quam ob rem ita ei videtur scribendum esse in pentametro corrigendo Bergkium secuto:

ἤχθεε δ' Ἑρμόβιον τὸν ἀεὶ βαρὺν, οὐδὲ Φερεκλῆν
ἐχθρὸν μισήσας, οἷ' ἀνέπεμψαν ἔπη,

quae sive interpretamur: Oderat neque Hermobium neque Phereclem, quum carmina, qualia in ipsum effuderant, odisset, sive μισήσας cum verbo ἤχθεε conjungimus et relativa enuntiatione causam istius odii addi putamus, languida sunt neque sententiae hujus loci conveniunt. Neque ea, quae necessaria videtur, sententia exsistit, si Bergkii emendatione probata posuerimus:

δήχθη δ' Ἑρμόβιον τὸν ἀεὶ βαρὺν ἠδὲ Φερεκλῆν
ἐχθρὸν μισήσας, οἷ' ἀνέπεμψαν ἔπη,

i. e. quum Hermobium et Phereclem odisset, aegre ferebat carmina, quae in ipsum effuderant. Itaque tenenda est Hermanni conjectura, quae facilius ferri poterit, si pro δήχθη

scripserimus ἤχθετο, ut sententia sit: Pertaesum est eum carminum, qualia effuderat, quum adversarios odio persequeretur. Itaque, ut ea, quae de Mimnermo canit poeta, complectar, haec dicit: Mimnermus, qui multa in amore passus dulcem amoris sonum spiritumque ex pentametro elicuit, senex flagrabat Nannus amore et cum amico comissatum ibat, carmina autem, quae antea in adversarios composuerat, prorsus respuebat.

v. 43. pro perversa codd. scriptura δαρδάνῃ (A B) vel περδάνῃ (P) δαρδάνην (VL, ut videtur, ex conjectura) Lennepius scribendum esse conjecit Σαρδιανήν, quod Hermannus probavit, alii spreverunt. Neque vero his assentiri possum, nam quod pro eo excogitaverunt, Δαρδανίῃ vel Δαρδανίην, quod cum participio ἀποπρολιπών conjunxerunt, etsi ad codd. scripturam paulo propius accedit, ferri non potest. Permirum enim esset, si poeta primum Antimachum Lydes amore compulsum in Lydiam migrasse diceret, deinde ne verbo quidem addito, quo ea res explicaretur, adderet eum Lyden in Troade sepelivisse, vel si accusativum Δαρδανίην probamus, Dardaniam in Troade sitam reliquisse. Itaque in Lennepii emendatione acquiescendum est.

v. 44. in libris est corruptissimus, neque enim scriptura cod. A.: καλλιωναΐζαον διῆλθεν, neque cod. B.: καλλιωναίζαον διῆλθεν, nec quod in PVL est: καλλίον' ἴζαον δῆθεν sensum praebet. Jam dubitari nequit, quin Casaubonus recte pro διῆλθεν vel δῆθεν scripserit δ' ἦλθεν, verum quid in praecedentibus lateat, non tam certo dici potest, unde factum est, ut alius aliam emendationem in medium proferret. Si vero, quae sana sunt, verba adspicimus, apparet nullam aliam posse hujus loci sententiam esse, nisi hanc: Antimachus Lydes amore motus Sardes migravit, quam cum ibi composuisset, relicta ea regione in patriam rediit. Nec minus certum est corrupta codd. scriptura nomen regionis contineri, quam Antimachus reliquerit, necesse est enim ad participium addi accusativum loci. Quam ob rem Ilgenii conjectura κλαίων, αἰάζων est rejicienda. Jam nomen quidem loci posuit Bergkius, neque vero puto quenquam ejus emendationem esse probaturum, quum codd. vestigia secutus scripserit: κλαίων Αἰζάνιον, nam Aezanium fuit teste Stephano Byzantio Phrygiae oppidum, igitur ex Bergkii sententia Antimachus primum Lydiam petiit, deinde in Troade amicam sepelivit, postremo Phrygiam reliquit. Denique Hermannus acutissime suspicatus est, Hermesianactem scripsisse Τμώλιον αἴζαον i. e. relicto Tmoli montis vertice. Quae conjectura eo commendatur, quod et pars scripturae codd. intacta servatur, et ea, quam necessariam esse dixi, sententia exsistit, nam Tmolus mons Sardibus imminebat et licuit sane poetae ita regionem, ex qua Antimachus discessit, significare. Quamquam igitur non satis firmo nititur fundamento, istam enim esse vocabuli αἴζαον notionem ex Hesychii glossa sola Hermannus conclusit, tamen quum per se verisimile sit et Hermesianactem tali substantivo ab aliis non usurpato usum fuisse et Hesychium ex docto poeta Alexandrino illam glossam petisse, nolim spreta Hermanni emendatione ad Heinrichii confugere, qui audacius conjecit: καλλίναον ποταμόν, ita ut poeta ad v. 42. respiceret.

v. 46. quum ἐκ παντὸς παυσάμενος καμάτου scriberet poeta, sine dubio non de laboribus, quos Antimachus tulerat, sed de dolore, quem ob amissam sentiebat amicam, cogitavit, praesertim quum antea βίβλους ἱρὰς i. e., ut recte Schweighaeuserus interpretatus est, memoriae Lydes sacratas dixerit, quo clarius celeberrimum Antimachi carmen significaret. Quae quum ita sint, participium aoristi huic loco non videtur aptum, sed una mutata litera scribere placet παυσόμενος, quo facto ea quae Hermesianax narrat, bene cum Plutarchi loco (Morall. II, 106, B.) concinunt, quem Schneidewinus attulit: Ἀποθανούσης τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Λύδης, παραμύθιον τῆς λύπης αὐτῷ ἐποίησε τὴν ἐλεγείαν τὴν καλουμένην Λύδην, ἐξαριθμησάμενος τὰς ἡρωϊκὰς συμφοράς, τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐλάττω τὴν ἑαυτοῦ ποιῶν λύπην.

v. 47. scriptura codd. ἀνεδέξατο etsi potest aliquo modo explicari, ut sit: sustinuit comissationes, tamen cum vocabulum κῶμος etiam de carminibus usurpari soleret, quae quis comissans canebat, elegantius erit ex conjectura Mitscherlichii scribere: ἀνεδείξατο i. e. dedicavit, quod jure Hermannus et Schneidewinus praetulerunt. Ceterum, ut hoc addam, Alcaei in Sappho amorem etiam ab artificibus repraesentatum fuisse ostendit Welckerus (alte Denkmäler II. p. 225 sqq.). Quod autem Hermesianax in sequentibus versibus narrat, Anacreontem Alcaei aemulum fuisse, ipse nulla temporis ratione habita videtur finxisse cf. Bergkium Anacr. p. 100. Bernhardy hist. lit. gr. II. 1 p. 600.

v. 51. ἐφωμίλησ' Ἀνακρέων in codd. scriptum est, quod quum propter metrum ferri non posset, in VL. editum est: Ἀνακρείων. At recte Hermannus animadvertit productionem penultimae, quam alibi in hoc nomine a poetis usurpatam esse constat cf. Crit. fr. 7, 2. Simon. Cei fr. 98, 1. Schneidewin., sub ictu versus et inusitatam et paene intolerabilem esse; quumque praeterea in v. ἐφομιλεῖν videatur offendisse, quod insolenter cum accusativo est conjunctum, ad violentam verborum trajectionem confugit scripsitque: Ἀνακρείων ἐφίλησεν. Ob eandem hanc causam Bergkius novo verbo composito ἐφημιλλήσατ' Ἀνακρέων conjecit i. e. certatim eam persecutus est, quod a poeta positum fuisse vix crediderim. Mihi tanta mutatione non videtur opus esse, sed plene tantum scribendum ἐφωμίλησεν, quo facto codd. scriptura Ἀνακρέων potest retineri. Licet enim verbum ἐφομιλεῖν proprie dativum requirat, potest tamen accusativus aliquo modo defendi, quum in talibus verbis intransitivis particulae vis nonnunquam videatur praevaluisse, unde factum est, ut cum eo casu conjungerentur, qui proprie praepositionem sequi debebat cf. Kruegeri gr. gr. II, 2, 48, 11, 4. Sic hoc loco Hermesianax ἐφομιλεῖν pro μεθέπειν (v. 66.) posuit hac fere sententia: Cum ea enim mellitus commercium habuit Anacreon sectatus seu sectans illam, quum incederet multis puellis cincta. Ita enim recte Schneidewinus verbum στέλλεσθαι explicuit.

v. 52. Bergkius languidum ratus epitheton πολλαῖς scripsit ἁπαλαῖς. At traditum est Sappho multarum nobilium virginum consuetudine usam esse, cf. Bernhardy l. c. p. 594 sqq.; quid languidum igitur, si hoc respiciens poeta multis eam puellis comitantibus incedere dixit?

v. 53. scriptura cod. A. λείπων Σάμον temere ab editoribus in VL. mutata est in προλιπὼν Σάμον, quod Ruhnkenius probavit. Neque vero videntur attendisse Hermesianactem participium praesentis etiam v. 58., ubi propter metrum nihil mutare licet, cum imperfecto verbi finiti conjunxisse, ut sententia esset ἔλειπε καὶ ᾖδε. Ita enim tales loci sunt explicandi, in quibus pro participio praesentis aoristi requiri videtur, ut participium integri membri locum obtineat, quod particula copulativa alteri erat adjiciendum. cf. Hermannum ad Eur. Hec. 369. Madvigii synt. ling. gr. §. 183.

v. 54. ineptum vocabulum δοῦριν, quod in VL. editum est, vel δοῦχιν, quod P. habet, recte Schneidewinus, quocum Bergkius et Emperius consentiunt, in οὔρει videtur mutasse, ut hic ut alibi Teus urbs ad montem sita significaretur; neque enim δουρί, quod Casaubonus posuit, ut poeta ad ea respiceret, quae Her. I, 168. narrat, et quod metrum turbatur et quod κλίνειν terram eo sensu, ut esset subigere, nusquam videtur a scriptoribus graecis dictum esse, probari potest, neque facile quisquam formam δούρει exemplis defenderit, quam Bergkius excogitavit, priusquam et ipse verum invenit et οὔρει κεκλιμένην a poeta more suo positum esse vidit.

v. 55. Paldamus (ad Prop. p. 303.) temere pro εὔοινον εὔυμνον proposuit; quum enim Lesbos insula propter vini generositatem quam maxime ab antiquis sit celebrata, cf. Plehnium Lesb. p. 6 sqq., nihil est mutandum licet praecedat οἰνηρή v. ad v. 83. Deinde autem in libris est: τὸ δὲ μυρίον εἴςιδε (εἰςίδε in PV.) λεκτρόν, quod nullum praebet sensum. Jam partem verae scripturae sine dubio ex his Casaubonus eruit, qui ea in hunc modum correxit: τὸ δὲ δὴ ῥίον εἴςιδε Λεκτόν, quod quum Idae promontorium in Troade fuisse sciamus cf. schol. ad Hom. Il. XIV, 284. Strab. XIII p. 581., hoc loco aptissime commemoratur. Itaque, ut par est, haec mutatio ab omnibus est probata; neque vero miror, priorem illius conjecturae partem aliis viris doctis minus placuisse, id autem jure quis miretur, quod fuerunt, qui solo accentu mutato μύριον retinerent et adverbialiter positum esse dicerent. Emendavit hoc Hermannus in verbis τὸ δὴ μυρίον suspicatus τὸ δ' ὁμούριον latere, quod quum aptissime dictum sit, Lectum enim promontorium, quum ex insula Lesbo conspiceretur, procul ab ea abesse non poterat, non est, quod Wenschio assentiamur, qui τὸ δὲ Μύσιον conjecit.

v. 57. ut posset intelligi, Ruhnkenii demum et Lennepii emendationibus factum est; ille enim pro αὖθις, quod in libris est, lenissima mutatione Ἀτθίς scripsit, ut et hic Sophocles apis Attica diceretur, hic pro perversa codd. scriptura πολυπρίωνα κοδώνην ponendum esse vidit πολυπρήωνα Κολωνόν. Et recte quidem ipsum nomen istius pagi restituit, quod propter adjectum πολυπρήωνα necessario hoc loco requiritur. Videtur autem usitata forma Κολωνόν insolenti et dubiae Κολώνην, quam Bergkius defendere conatus est, etsi propius haec accedat ad librorum scripturam, esse praeferenda.

v. 59. et 60. foedissime quidem corrupti, immo mutili in libris traditi sunt, nam in AB. leguntur haec: Βάκχον καὶ τὸν Ἔρωτ' ἀγειραιθειαρειδος (pro quibus in PVL.:

ἀγείραιϑ ἀρειδός) . . . . *Ζεὺς ἔπορεν Σοφοκλεῖ*; tamen quid in iis lateret, satis probabili conjectura viri docti sunt assecuti. Primum enim Lennepius ex his nomen Theoridis eruit, quam Athen. XIII p. 592. A. a Sophocle, quum jam senex esset, amatam esse memoriae prodidit; vix enim credibile est, nomen amicae quod fuerit, hoc uno loco ab Hermesianacte non additum fuisse. Quae conjectura quum verisimillima sit, nescio an recte alii viri docti statuerint praecedentibus literis verbum aliquod contineri, quod celebrandi haberet notionem, eamque ob rem jam Schweighaeuserus verum invenerit scriptum fuisse ratus *ἐγέραιρε*, quod praestat Hermanni conjecturae: *ἀνέγειρε*. Reliqua, quae prorsus perierunt, Hermannus probata Schweighaeuseri sententia, qui propter praecedentia verba *οἷα ᾖδε* i. e. quomodo cecinerit, recte verbum hoc loco requisivit, quale v. 49. 73. 75. poeta posuit, et probabiliter et pulchre in hunc modum supplevit:

Βάκχον καὶ τὸν ἔρωτ' ἐγέραιρε Θεώριδος, οἶσϑα·
καὶ γεραιῷ γὰρ ἐρᾶν Ζεὺς ἔπορεν Σοφοκλεῖ.

De hac autem Sophoclis amica quid esset statuendum, recte mihi videtur indicasse Schoellius Sophocl. p. 367., qui totam hanc fabulam e comoedia originem traxisse et istam virginem fictam aliquam et quasi allegoricam personam fuisse dixit, qua festorum dierum sollennitas significaretur cf. Welckeri gr. trag. p. 305.

v. 61—63. Euripidem dicit poeta *τὸν ἀεὶ πεφυλαγμένον ἄνδρα καὶ πάντων μῖσος κτώμενον ἐκ συνοχῶν πάσας ἀμφὶ γυναῖκας*, in quibus verba *πάντων ἐκ συνοχῶν* perversa et corrigenda esse omnes viderunt. Priusquam tamen, qua ratione id efficere studuerint viri docti, exponam, monendum est, quo sensu verba *κτᾶσϑαι μῖσος* hoc loco sint posita; apertum autem est poetam nihil aliud potuisse dicere nisi: dico etiam istum virum, qui semper sibi cavebat omnesque mulieres odio persequebatur, obliquo Cupidinis arcu percussum nocturnos dolores non deposuisse; quae tum demum exoritur sententia, quum *μῖσος κτᾶσϑαι ἀμφί τινα* idem est atque *μισεῖν τινα*. Nam si *κτᾶσϑαι μῖσος* statuerimus significare: odium sibi comparare, odiosum esse, timeo ne absurdum quid a poeta scriptum sit, neque enim mirum est, si quis amore capitur, qui odiosus est mulieribus, sed si cui id accidit, qui eas odit. Quae quum ita sint, efficitur, ut Emperii conjectura *καὶ λασϑῶν μῖσος κτώμενον ἐκ συνόχων* i. e. qui perpetuis in omnes mulieres cavillationibus odiosus iis erat, sit rejicienda. Multo probabilius, si sententiam solam spectamus, Jacobsius *ἠδ' ἀπαλῶν μ. κτ. ἐξ ὀνύχων* scribendum esse censuit, ut Euripides „de tenero ungui" mulieres odisse diceretur. Quod in proverbio fuisse Graecis apparet ex locis, quos Kreusslerus in lexico Passowiano collegit, neque opus est addere tale quid aptissime hoc loco dici. At nimium haec emendatio a codd. scriptura recedit; quod quum sensisset Bergkius, priore illius parte retenta v. 62. ita edidit: *καὶ πάντων μῖσος κτώμενον ἐξ ὀνύχων*. Neque tamen exemplis poterat demonstrare Graecos hoc proverbio usos esse, quod num Romani ex graeco sermone sumserint, valde quaeritur. Denique Hermannus collato Moschopulo, qui in Vita Euripidis haec refert: *σκυϑρωπὸς δὲ τὸ ἦϑος ἦν καὶ*

φεύγων τὰς συνουσίας, ὅθεν καὶ μισογύνης ἐδοξάσθη. Hermesianactis verba in hunc modum correxit:

καὶ σπανίων μῖσος κτώνενον ἐκ συνόδων,

quod quoniam proxime ad librorum scripturam accedit et quum propter praecedens πεφυλαγμένον aptissime est dictum, tum egregie convenit cum verbis κτᾶσθαι μῖσος i. e. odium ex rara consuetudine concipere, a poeta profectum esse pro certo affirmaverim.

v. 66. ut Αἰγείων, quod in libris est, posset retineri, accentum solum mutaverunt genitivumque Αἰγειῶν cum vocabulo λαύρας conjunxerunt; nec nego urbis vias elegantius quam terrae hic commemorari. Tamen, si in istorum iverimus sententiam, praecedens genitivus Μακηδονίης ferri non potest, nec fugit hoc Bergkium, qui dativum loci Μακηδονίῃ posuit. Sed hac ipsa re suspecta mihi fit ista accentus mutatio. Accedit alterum. Semper enim, ut jam supra monui, Hermesianax, quae nomina fuissent virginum, quarum amore arsissent poetae, addidit, ut jure miremur, id hoc uno loco ab eo esse omissum. Quod si positum erat, lateat necesse est in vocabulo Αἰγείων; sed quum nihil nobis antiqui scriptores tradiderint, ex quo cum aliqua probabilitate, quod istud fuerit, possimus colligere, satis habui adnotasse Casaubono Ἀργείην, Ilgenio Αἰγεινώ in mentem venisse.

v. 67. neque in libris, qui exhibent: εἰςόκε δαίμων Εὐριπίδῃ εὕρετ' ὄλεθρον, neque in VL., ubi editum est: εἰςόκε τοι δαίμων Εὐριπίδῃ εὗρεν ὄλεθρον, recte scriptus est. Restituit eum Porsonus una deleta litera:

εἰςόκε τοι δαίμων, Εὐριπίδη, εὕρετ' ὄλεθρον,

ita ut poeta figura apostrophes similiter in media narratione usus sit, atque Ovid. Fast. II, 97.

v. 68. felicissime Hermannus et Bergkius verba ἀμφὶ βίου in unum Ἀμφιβίου conjunxerunt, quo facto omnis loci tollitur difficultas; vix enim verba ἀντιᾶν κυνῶν ἀμφὶ βίου significare possunt: cum canibus de vita luctari. Neque haec emendatio eo refutatur, quod Moschopulus istos canes Lysimachi fuisse narrat, quum saepissime Hermesianactem ab aliorum scriptorum narratione recessisse constet.

v. 69—74., in quibus de Philoxeno poeta agitur, quomodo in libris scripti sunt, omnes apponere placet:

Ἄνδρα δὲ τὸν Κυθέρηθεν ἀνεθρέψαντο τιθῆναι
Βάκχου καὶ λωτοῦ πιστότατον ταμίην
Μοῦσαι παιδευθέντα Φιλόξενον, οἷα τιναχθεὶς
ὠρυγῇ ταύτης ἦλθε διὰ πτόλιος,
γιγνώσκει καὶ οὖσαν μέγαν πόθον, ὃν Γαλατείης
αὐτοῖς μηλίοις θῆκαθ' ὑπὸ προγόνοις.

Jam primum nulla potest esse dubitatio, quin Ruhnkenius v. 73. ex verbis γιγνώσκει καὶ οὖσαν veram eruerit scripturam: γιγνώσκεις ἀΐουσα. Deinde Hermannus v. 69. pro ἀνεθρέψαντο scribendum esse ὃν ἐθρέψαντο monuit; recte vero Meinekius fragm. com. graec. III. p. 645. ne sic quidem omnes loci difficultates tolli perspexit, quum neque

quae nutrices Philoxenum nutrivissent, appareret neque participium παιδευθέντα ex sententia Hermanni ita intelligi posset, ut esset castigatum. Ipse paucis mutatis egregie hos versus ita emendavit:

ἄνδρα δὲ τὸν Κυθέρηθεν, ὃν ἐθρέψαντο τιθῆναι
Βάκχου, τὸν λωτοῦ πιστότατον ταμίην,
Μούσαις παιδευθέντα Φιλόξενον.

Itaque Hermesianax Philoxenum celeberrimum poetam dithyrambicum nutritum esse dicit a Bacchi nutricibus i. e. a Nymphis, (cf. praeter locum a Meinekio ex Soph. Oed. Col. 679. allatum Jacobi (Handwoerterbuch der griech. und roem. Mythologie p. 261.), exstitisse fidissimum tibiae custodem, educatum esse a Musis. Denique in iis, quae sequuntur, Heringa pro μηλίοις reposuit μηλείοις, quo facto omnia, quae in hoc loco commiserunt librarii vitia, videntur esse sublata; sed quaeritur, quomodo verba οἷα τιναχθείς sqq. sint explicanda, quum nonnulla in iis insint, quae obscurius dicta et ab editoribus carminis non recte intellecta esse videantur. In horum numerum ante omnia retulerim verba τιναχθεὶς ὠρυγῇ, quae si rectius aliis interpretatus ero, debeo hoc Fr. Palmio, rectori amicissimo, ad quem, quum jam de iis desperarem, confugi. Certum videtur esse Hermesianactem etiam hic, ut alibi, non solum quid scripserit poeta, de quo agit, sed etiam quid tulerit, paucis verbis, ut mos est ejus, significare voluisse quoque melius hunc suum finem assequeretur, ipsius Philoxeni verbis esse usum. Scimus enim Philoxenum, quum apud Dionysium tyrannum, quocum maxima conjunctus erat familiaritate, versaretur, amore captum esse Galateae; quam quum ipse amaret Dionysius a tyranno in lautumias est conjectus cf. Ath. I. 6. F.; unde quum in patriam aufugisset (cf. schol. ad Ar. Plut. 290.) carmen composuit, cui nomen erat Cyclopi, quo tyrannum perstringeret. Jam quum Dionysius in hoc carmine Cyclopis, ipse Ulixis personam ageret, quod aperte testatur Ath. l. c., fieri non poterat, etsi de hac re nihil compertum habemus, quin vestigia Homeri sequeretur fabulamque de Cyclope, quomodo ab illo erat narrata, in usum suum converteret. Fuit enim et ipse a Dionysio hospitaliter exceptus, ab eodem, quum privatus oculo i. e. amata in ipsum saevire coepisset, coactus est, ut aufugeret. Jam apud Hom. Od. IX, 395. legimus Cyclopem excaecatum σμερδαλέον μέγ᾽ οἰμῶξαι, qua re perterriti Ulixes sociique ἀπέσσυντο. Ad quae si respexit Philoxenus, poterat sane dicere se quoque ὠρυγῇ Cyclopis τιναχθῆναι i. e. Dionysii clamore seu minis concussum et perterritum esse. Posse autem vocabulum ὠρυγή etiam de hominibus usurpari, non est cur negemus, cum verbo ὠρύεσθαι ita Graeci usi sint cf. Her. III, 117: βοῶσι ὠρυόμενοι i. e. ingenti clamore ululant; fragm. Plat. comici apud Ath. XIV. 628. E. στάδην ἑστῶτες ὠρύονται i. e. inconditum edunt clamorem. Eo autem aptissime quis dicitur τιναχθῆναι, ut apparet ex Apoll. Rhod. IV, 639: φόβῳ δ᾽ ἐτίναχθεν αὐτῆς (sc. Junonis) πάντες ὁμῶς. Itaque Hermesianax Philoxenum clamore Cyclopis i. e. Dionysii ex antro ejus i. e. Syracusis expulsum per Colophonem venisse ita finxit, ut ea ipsa verba ὠρυγῇ τιναχθείς

ex ipso Philoxeni carmine depromeret. Neque hoc ab ejus more abhorret, quum recte eum Bergkius v. 76. verbis ὑπὸ πλατάνῳ μολπάζοντα notum aliquod Philetae carmen hujus ipsius poetae verbis significasse mihi suspicatus esse videatur; poteratque eo magis tali ratione uti, quod istud Philoxeni carmen non solum aequalibus, verum etiam prae ceteris Leontio, cui hos dedicavit elegos, notum erat; etenim ex sequentibus verbis ἀΐουσα μέγαν πόθον colligi potest poetam puellae suae istud carmen recitasse. Restat, ut de reliquis verbis, quae non minus vexarunt interpretes, dicam. Ac primum quidem ambigi non potest, quin iis quoque poeta Philoxeni carmen significare voluerit, id quod omnes fere editores recte perspexerunt; at non minus clarum est ferri non posse Hermanni explicationem, cui poeta visus est dicere „Galateam tibicinam primum oves pavisse eoque jam tempore amore incendisse Philoxenum"; neque enim τίθεσθαι πόθον potest esse amorem erga aliquem concipere, neque ὑπὸ μήλοις apud oves, nec denique pronomen αὐτοῖς quid sibi velit intelligitur. Rectius igitur mihi ii de hoc loco videntur judicasse, qui verba ὑποτίθεσθαι πόθον significare putaverunt amorem injicere vel tribuere totumque locum ita intellexerunt, ut Philoxenus diceretur ipsi ovium proli amorem Galateae indidisse eamque istius desiderio flagrantem in Cyclope induxisse, ut quam amabilis ista virgo fuisset, omnibus ante oculos poneret. Hoc a Philoxeno aliquo carminis sui loco fictum esse mihi aeque verisimile est, atque eum vocabulum πρόγονοι ab Hom. Od. IX, 221. esse mutuatum. Itaque, ut omnia complectar, de Philoxeno Hermesianax Leontio suae haec scribit: Virum Cytheris oriundum, quem Bacchi aluerunt nutrices, fidissimum tibiae custodem, a Musis educatum Philoxenum quomodo incondito perculsus clamore (Dionysii minis) per hanc venerit urbem, novisti, quum magnum audiveris desiderium, quod ipsis agnis indidit.

v. 77. Βαττίδα pro Βιττίδα scribendum esse jam Scaligerus recte monuit, quum Ovid. Trist. I, 6, 2. ep. ex Pont. III, 1, 58, qui sine dubio et ipse Philetae elegis usus est, eam puellam Battidem nominaverit et major fides Ovidii quam Athenaei libris sit habenda. Ceterum clarum est, poetam verbis

Βαττίδα μολπάζοντα θοήν, περὶ πάντα Φιλητᾶν
ῥήματα καὶ πᾶσαν ῥυόμενον λαλιήν

omnia Philetae scripta significare. Fuit autem Philetas non solum poeta sed etiam grammaticus, et praeter elegos librum, cui Ἄτακτα sive γλῶσσαι erat titulus, scriptum reliquit, quod ita expressit Hermesianax, ut eum sub platano Battidem celebrasse et in verbis omnique sermone explicando laborasse diceret. Etenim verbum ῥύεσθαι paene intolerabile est hoc loco, quum ῥύεσθαι περί τι ne graecum quidem sit, neque apte hic περί adverbii locum tenere potest. Itaque rectissime Hermannus hoc vocabulum una adjecta litera in τρυόμενον mutasse mihi videtur, quo facto et ea, quam dixi, sententia exsistit, et hic locus aliquo modo cum Athenaei (IX, 401. E.) et Suidae narratione concinit, qui Philetam nimio literarum studio mortem accelerasse tradunt. Τρύεσθαι περί τι

autem posse graece dici unus negabit Cobetius; simillime enim graeci scriptores διατρίβειν περί τι sexcenties posuerunt. Quae si recte a me disputata sunt, vix opus est addere emendationem Bergkii, qui pro verbis Θοήν, περί edidit Θερῆν πυρί, esse inutilem; neque haec conjectura unquam posset probari, nam forma Θερῆν pro Θερῆναι prorsus est inusitata, et quum poeta Philetam dixerit Battidem carminibus celebrasse, satis diserte, opinor, indicat eum illius amore flagrasse, hypostigmen enim cum Bergkio post Θῆκαν ponendum et participium μολπάζοντα ex verbo οἶσθα aptum, deinde τρυόμενον praedicati loco ipsi poetae nomini adjectum esse existimo.

v. 79. et 80. οὐδὲ μὲν οὐδ' ὁπόσοι σκληρὸν βίον ἐστήσαντο
ἀνθρώπων, σκολιὴν μαιόμενοι σοφίην,

quibus transitum sibi poeta ad philosophos parat, nolim Porsoni conjecturam ἐκτήσαντο librorum scripturae ἐστήσαντο praeferre, quum ἵστασθαι βίον pro καθίστασθαι βίον i. e. sibi constituere sive instituere vitam ex usu Graecorum recte dici posse videatur. Neque in pentametro Heinrichium jure in adjectivo σκολιήν offendisse et pro eo σκοτίην scripsisse concesserim, quandoquidem etiam in isto vocabulo ea, quam vir doctissimus hoc loco requisivit, sententia inest cf. Plut. Morall. p. 676. D., qui ἐπίγραμμα σκολιόν i. e. obscurum dicit; Dion. Hal. jud. Thuc. 40, 1. λαβυρίνθων σκολιώτερα i. e. tortuosiora respondere.

v. 81. et 82., qui ex librorum auctoritate vulgo sic edebantur:

οὓς αὐτὴ (αὐτοί B) περὶ πικρὰ λόγοις ἐσφίγξατο μῆτις
καὶ δεινὴ μύθων κῆδος (κῦδος PVL.) ἔχουσ' ἀρετή,

multiplicis habent ansam reprehensionis. Ut enim prius de hexametro dicam, vix probabilis in eo inest sententia, neque si plerosque editores secuti verba in hunc modum conjuncta: οὓς αὐτὴ μῆτις περιεσφίγξατο πικρὰ λόγοις, interpretati erimus: quos ipsa prudentia amare i. e. in magnam ipsorum, qui se sapientes jactabant, molestiam, constrinxit ratiocinationibus; neque si Hermanni conjectura αὐή pro αὐτή probata poetam dixisse putaverimus: quos anhelans cura disputando de rebus amaris macilentos reddidit; quae ferri non posse recte Cobetius l. l. monuit. Itaque non mirum est, quod viri docti alius alia ratione corrigere hunc versum studuerunt; mihi, ne longus sim, emendatio Porsoni, qui pro πικρά posuit πυκνά ceteris multum videtur praestare, quippe qua efficiatur, ut reliqua verba intacta retineri probabiliterque explicari possint. Jam videamus de singulis. Ac primum quidem non videtur dubium, quin poeta μῆτιν hoc loco eam dixerit virtutem, cui vulgo apud philosophos φρόνησις nomen est, est igitur prudentia; λόγοι autem sunt rationes cf. Plat. Gorg. p. 509. A. δέδεται σιδηροῖς καὶ ἀδαμαντίνοις λόγοις. Deinde verbum περισφίγγειν est sane constringere, vincire, sed etiam cingere i. e. instruere et complecti, unde velandi orta est notio; cf. Emped. 168. Sturz. Τιτὰν ἠδ' αἰθὴρ σφίγγων πέρι κύκλον ἅπαντα. Anth. Pal. 6, 74, 8: χεῖρα περισφίγξω χρυσοδέτῳ σπατάλῃ i. e. cingam; ib. 5, 104, 3: οὔ σε περισφίγγει λεπτὸς στολιδώμασι πέπλος i. e. cingit s. velat. Quare et hoc loco verbum περισφίγγειν significare putaverim complecti

s. cingere, ideoque, quum quae nos cingunt res, eaedem tueantur, circumsepire. Denique adverbium πυκνά est spisse, dense, cujus usus, nisi fallor, apud Hom. Od. XIII, 438. XVII, 198. exstat exemplum. Itaque dicit poeta: quos ipsa prudentia i. e. ipsum sapientiae studium spisse rationibus circumsepsit sc. ut amorem arcere possent. Neque tamen sola prudentia id effici putat, addit enim in pentametro καὶ δεινὴ μύθων κῆδος vel κῦδος ἔχουσ' ἀρετή; quibus verbis artem dialecticam s. rhetoricam designari aeque perspicuum est, atque eam neque eleganter neque significanter dici μύθων κῆδος vel κῦδος ἔχειν i. e. curam in dicendo suam ponere vel gloriam dicendi nactam esse. Itaque non possum mihi persuadere Hermesianactem κῆδος vel κῦδος scripsisse, sed assentior Heckero, qui κῦρος ab eo positum fuisse suspicatus est, praesertim quum Fr. Palmius me monuerit hoc vocabulum saepius a Platone esse usurpatum cf. Crat. p. 435. C. legg. p. 700. C., et Gorg. p. 450. E., ubi de ipsa rhetorica arte sermo est: ἡ διὰ λόγου τὸ κῦρος ἔχουσα ῥητορική ἐστιν cf. ib. p. 451. A. Et profecto verisimillimum est doctum poetam hos locos ante oculos habuisse. Quod autem genitivum cum verbis κῦρος ἔχειν conjunxit, non videtur esse vituperandus, quum et alii scriptores, licet alio sensu, κῦρος ἔχειν τινός dixerint cf. Her. VI, 109.: ἐς σὲ ἀνήκει τῶν πρηγμάτων τὸ κῦρος ἔχειν. Aristid. I. p. 418. Jebb. Λακεδαιμόνιοι τό γε κῦρος ἔχοντες αὐτοὶ τῆς ψήφου. Quod si poeta hunc dicendi usum respexit, non dubito, quin recte rhetoricam gravem artem dixerit, quae verborum arbitrium seu vim haberet. Jam hac quoque arte philosophos ab amore defendi posse non negaverim, neque vero miror, quod Fr. Palmio in mentem venit Hermesianactem θυμῶν κῦρος ἔχουσα scripsisse, ut temperantia, moderatrix omnium cupidinum, intelligeretur cf. Anth. Plan. IV, 198, 3., ubi Ἔρως σωφροσύνας ὑβριστής, φρενοκλόπος, ληστὴς λογισμοῦ dicitur, Plat. Conv. p. 196. C. εἶναι ὁμολογεῖται σωφροσύνη τὸ κρατεῖν ἡδονῶν καὶ ἐπιθυμιῶν, cui a Platone legg. p. 839. A. opposita est μανία, quae in sequentibus commemoratur. Ingeniose sane haec sunt excogitata, tamen ipse vir doctissimus sententiam suam retractavit, quum vidisset poetam in iis, qui sequuntur, versibus bis dialecticae artis ita fecisse mentionem, ut aperte ad ea, quae in universum de philosophis dixerat, respiceret cf. v. 94., ubi Socratem λόγων πολλὰς εὑρέσθαι διόδους, et v. 97., ubi Aristippum πάσας ἀνήνασθαι λέσχας φεύγοντα i. e. philosophicas disputationes refugisse refert. Quae quum ita sint, praeter vocabulum κῆδος nihil licet mutare.

v. 83. οὐδ' οἵ δεινόν primum editum est in V pro οἶδεν ὄν, quod in AB, vel οἱ δὲ τόν, quod in P legitur. Quae si codd. vestigia spectamus, verisimillimum sane est Hermesianactem ex usu epicae dictionis, ut Hermannus recte monet cf. Hom. Il. II, 703., οὐδ' οἵ δεινόν scripsisse, licet ter tum redeat adjectivum δεινός, quod etsi non est elegans, tamen non prorsus reprobaverim, quum ejusmodi iterationes non videatur anxie vitavisse cf. v. 54. 55., et admodum sit lubricum, ex codd. scriptura aliud quid elicere. Nam neque Westoni conjectura οὐδ' οἶδ' αἰνόν, neque Bergkii οὐδ' οἵ κεῖνον habet, quo se commendet. Deinde in eodem versu jure videtur Hermannus ἀπετρέψαντο, quod in PVL

est, reliquorum codd. scripturae ἀπεστρέψαντο praetulisse, quum dicere debuerit poeta philosophos propulsare nequivisse bellum vel impetum Amoris. Accedit quod τρέψασθαι πολεμίους sollennis quasi formula apud scriptores graecos est. Eodem autem sensu et ἀποτρέψασθαι dictum esse apparet ex Plut. Brut. 42., quo loco Cobetii sententia refellitur, qui hanc notionem in medio ἀποτρέπεσθαι inesse negavit.

v. 84. in libris est φαινόμενον, quod aeque languidum mihi videtur, atque φαινομένου, quod Bachius Bergkiusque ediderunt, quum per se pateat Cupidinem adesse, quum tumultum commoveat. Quod autem Hermannus excogitavit φθανόμενοι, num graece dici possit valde dubito, certe mihi non contigit, ut aliud hujus usus exemplum invenirem. Denique Heinrichius, ut hujus loci difficultatem tolleret, mutata verborum collocatione scribere nos jussit: μαινόμενοι δ' ἦλθον δεινὸν ὑφ' ἡνίοχον, quod quamvis sequentibus: οἵῃ μανίῃ κατέδησε Πυθαγόρην commendari videatur, tamen propter nimis violentam verborum trajectionem, qua lex, quam in componendo pentametro Hermesianax videtur secutus esse (v. Bergkium p. 12.) aperte violatur, vix potest probari. Ne tamen verbum μαίνεσθαι, quod Heinrichius huic loco aptum esse judicavit, prorsus repudiemus, monet Homerus, qui saepissime deos vel viros fortissimos per aciem saevire (μαίνεσθαι) dixit. Jam quum praecedenti versu poeta tumultum Cupidinis commemorarit, licet sane conjicere eum addidisse: μαινομένου, ut ipse Cupido saevire diceretur.

v. 88. βαιῇ ἐνὶ σφαίρῃ pro perversis verbis βίης ἐν σφαίρῃ, quae in libris sunt, Dindorfius correcta editionum VL scriptura βαιῇ τ' ἐν σφ. posuit, quod omnes editores comprobaverunt, quum sententiae loci bene conveniat. Apertum est enim Pythagoram dici omnem orbem, quantum aether cingat, in parvo globo expressisse fingendo et sic totius mundi ordinem descripsisse, quod alii sane ab Anaximandro factum esse tradunt. Quae quum ita sint, jure ambigitur, num recte poeta verbo ἀποτάσσεσθαι usus sit, in quo talis significatio non videtur inesse. Jam scio quidem Hermannum ex Brunckii Anal. II. p. 307. versum Diophanti attulisse: τοῖς προπόλοισι πιεῖν χρῆστ' ἀποταξάμενος, in quo ἀποτάσσεσθαι esset distribuere, quod si ita se haberet, hoc quoque loco codd. scriptura aliquo modo posset defendi; verum in isto versu Brunckius ἀποταξάμενος ex Salmasii posuit emendatione, quam Jacobsius in append. epigr. Anth. gr. T. III. p. 891. parum probabilem esse dixit, libri autem exhibent ἐπιτεταγμένος, unde apparet hunc locum ita esse comparatum, ut nihil ex eo colligi possit. Quare Hemsterhusium non solum eleganter, sed etiam recte suspicatum esse puto Hermesianactem scripsisse ἀπομασσόμενον, quod eam, quae hic requiritur, sententiam habet; nam ἀπομάττειν est fingere, exprimere cf. Plat. Tim. p. 50. E., neque in medio verbi genere est, quod offendat, quum Plut. Mor. p. 455. E. scripserit: εἰκόνα τοῦ πάθους ἀπεματτόμην ἐμαυτῷ, cf. ib. p. 984. B.

v. 89. et 90. Heringae et Porsoni emendationibus ita sanati sunt, ut, quid a poeta profectum sit, non amplius possit dubitari. Quum enim in AB scriptum sit: οἵῳ δ' ἐχλειγμένον ἔξοχον ἐχρῆν πολλῶν δ' ἀνθρώπων εἶναι, in PVL autem: οἵῳ δ' ἐχλειημένον

ἔξοχον ἐχρῆν .... εἶναι πολλῶν δ' ἀνθρώπων, ille pro ἐχλειημένον scribendum esse ἐχλίηνεν ὄν vidit, hic reliqua ita correxit, ut deleta particula δ' pro ἐχρῆν πολλῶν restitueret ἔχρη Ἀπόλλων, quo facto poeta dicit haec: Quanto porro incendit, quem praestare edidit Apollo hominibus Socratem sapientia (cf. Plat. Ap. Socr. p. 21. A. ibique adn. Stallbaumii), Cypria irata ignis ardore. Deinde

v. 91. sqq. ita pergit: ἐκ δὲ βαθείης
ψυχῆς κουφοτέρας ἐξεπόνησ' ἀνίας
οἰκί' ἐς Ἀσπασίης πωλεύμενος· οὐδέ τι τέκμαρ
εὗρε, λόγων πολλὰς εὑρόμενος διόδους,

in quibus uno tantum loco a codicibus discedere visum est; etenim v. 94. ex probabili Heringae emendatione λόγων scripsi pro eo, quod libri habent, λόγῳ; reliqua ita comparata sunt, ut aptam praebeant sententiam, verum tamen paulo aliter, quam vulgo solent, mihi videntur esse explicanda. Ut enim a vocabulo ἀνία initium faciam, semper habet doloris vel molestiae notionem, unde a Platone voluptati (ἡδονῇ) opponitur, et recte jam Ruhnkenius hic molestias seu sollicitudines amoris eo significari perspexit, velut est apud Callim. epigr. 47 (Anth. XII, 150.). Has autem amoris molestias e profundo i. e. sapienti animo (v. locos ab editoribus lexici Passowiani congestos) ἐξεπόνησε, quod h. l. non potest esse, ut Hermanno visum est, elaborare, neque simpliciter perferre, ut est apud Theocr. ep. 20, 5., sed eodem fere sensu usurpatum videtur, atque apud Eur. Herc. fur. 581: τῶν δ' ἐμῶν τέκνων οὐκ ἐκπονήσω θάνατον; ita tamen ut perferendi notionem non prorsus ab hoc loco abesse dixerim. Quum enim proleptice additum sit adjectivum κουφοτέρας i. e. ὥστε κουφοτέρας εἶναι, apparet Socratem dici perferentem dolores amoris simul ex sapienti mente eos amovisse levioresque reddidisse eo, quod Aspasiae domum frequentabat. Participio enim πωλεύμενος rationem, qua Socrates id effecerit, indicari eo magis existimo, quo clarius sic demonstratur nullo alio modo potuisse sapientem Socratem dolores suos lenire, quam si penitus se in consuetudinem amatae puellae immergeret. Jam aptissime his adjunguntur sequentia: Neque tamen finem seu terminum sc. amoris invenit, quum multos disputationum exitus invenisset; nam verba τέκμαρ et διόδους inter se sunt opposita, nec potest esse dubium, quin poeta formulam τέκμαρ εὑρεῖν ex epica dictione sumserit et διόδους eodem sensu posuerit atque διεξόδους i. e. proprie vias et rationes disputandi, (cf. Plat. Prot. p. 361. D.) deinde exitus, qua significatione saepe in Platonis dialogis legitur, quod fugisse Hermesianactem vix credibile est.

v. 95—98. ita in libris scripti sunt:

ἄνδρα Κυρηναῖον εἴσω πόθος ἔσπασεν Ἰσθμοῦ
δεινόν, ὅτ' ἀπιδανῆς Λαΐδος ἠράσατο
ὀξὺς Ἀρίστιππος, πάσας δ' ἠνήνατο λέσχας
φεύγων οὐδαμένον ἐξεφόρησε βίῳ.

In his quo v. 95. laborat, vitium jam in editionibus VL est correctum, ubi post vocabulum

Κυρηναῖον insertum est δ'; quum tamen prima hujus vocis syllaba saepissime producta inveniatur, elegantius videtur ex sententia Hermanni particula δέ secundo loco posita scribere: ἄνδρα δὲ Κυρηναῖον ἔσω πόθος ἔσπασεν Ἰσθμοῦ. Deinde v. 96. Ruhnkenii emendatio δεινός pro δεινόν jure ab omnibus editoribus uno excepto Bachio est probata, quum vel propter collocationem verborum vix credibile sit hoc epitheton ad ἄνδρα esse referendum, neque bene, qui hoc versu dicitur δεινός, sequenti nominetur ὀξύς, quod eandem fere habet significationem. Nec minus recte Hermannus eodem versu perversam librorum scripturam ἀπιδανῆς in ἀπιθάνης videtur mutasse, quod quantum propter ipsius mutationis lenitatem Emperii conjecturae: δεινός, τὸν Σικανῆς Λαΐδος ἠράσατο, praestet non opus est monere maximeque eo confirmatur, quod alii quoque scriptores istam meretricem celeberrimam aditu difficillimam fuisse prodiderunt cf. Ath. XIII. 570. B. C. 585. D. Ael. var. hist. XII, 5. XIV, 35. Denique in ultimis verbis emendandis diversas vias viri docti sunt ingressi. Hermannus enim Athenaei testimonio usus, qui p. 588. E. Aristippum cum Laide quotannis Neptuniorum tempore se Aeginam contulisse narrat cf. ib. p. 544. D., poetam suspicatus est scripsisse:

φεύγων εὐλιμένων ἐξ Ἐφύρης ὁρίων.

At nemo ex his verbis potuerit colligere, quo fugerit Aristippus, quum istius insulae nulla fiat mentio, omnesque, haec si posuisset, jure poetam obscuritatis arguerent. Deinde primo adspectu apparet verba ab Hermanno posita nimium a codd. scriptura recedere. Quibus adductus causis facere non possum, quin, missis aliis, Schneidewini conjecturam: οὐδ' ἀνέμων ἐξεφόβησε βίη praeferam, quippe quae leniore mutatione sit effecta sententiamque praebeat aptissimam. Scimus enim auctoribus Diog. L. II, 71. et Ael. var. hist. IX, 20. Aristippum quum Corinthum navigaret, tempestatibus laboravisse, cujus rei videtur poeta memor fuisse. Sic bene procedit narratio: Aristippus tanto Laidis ardebat amore, ut Corinthum abreptus omnem philosophiam postponeret et ne tempestatibus quidem ab incepto itinere deterreretur. Quod autem participium φεύγων tum cum praecedentibus sit conjungendum, nolim frigidum esse statuere, quum isto addito vis verbi ἠνήνατο augeri videatur, ordo autem verborum eo defendatur, quod multis locis cf. v. 2. 8. 20. 46. 64. 70. 80. 84. 86. 96. Hermesianax vocabulum, quod ad sententiam hexametro expressam pertinet, in initio pentametri collocavit.

Addenda.

P. 3. ad v. 3. Praeter locos ex Hom. Od. allatos cf. ib. XI, 94. Si ferri non potest ἔπλευσεν, proxime ad codd. scripturam accedere videtur: ἔσπευσεν.

P. 4. ad v. 8. Praeter Luciani locum cf. Eur. Alc. 361. Verg. Georg. IV, 502. 503. Ov. Met. X, 72.

Corrigenda.

P. 3. l. 21. Meinekius. P. 8. l. 34. Ioniae. P. 13. l. 18. post mutandum et p. 16. l. 21. post Dionysius hypostygme est ponenda.

Redeactus. Montag, den 29. März, Vormittags 9 Uhr.

1. Offertorium von Hauptmann.
2. Lateinische Rede des künftigen Primus der Schule M. Francke über die Frage: **Quomodo tempore sit utendum.**
3. Lateinische Rede des Abiturienten P. Buchheim über den Ausspruch Ciceros: **pietatem fundamentum esse omnium virtutum.**
4. Deutsche Rede des Primaners F. Gillmer über den Dichter **Walther von der Vogelweide.**
5. Chor von Seb. Bach.
6. Lateinische Rede des Abiturienten A. Wordtmann über den Satz: **Disce ut semper victurus, vive ut cras moriturus.**
7. [illegible] Telamon, lateinisches Gedicht von dem Abiturienten C. **Schmidt**, [illegible] zugleich der Schule Lebewohl [illegible].
8. Abschiedsworte an die [illegible] von dem Primaner [illegible].
9. [illegible]
10. [illegible] von [illegible].
11. Bekanntmachung des Ausfalls der [illegible] und Entlassung der Abgehenden durch den Director.
12. Halleluja von Händel.

Zu [illegible] Teilnahme [illegible] Mitglieder des Gymnasial- und Realschul-[illegible] Behörden, die [illegible] und [illegible] Gönner und Freunde [illegible] gebenst eingeladen.

[illegible] 15. März 1869. [illegible]